

188

asinos cum asinariis disponeret, et omnia alia pro inductione peregrinorum necessaria, citius quo posset, ordinaret, et veniret, eosque de mari tolleret. Interim autem, quo haec aguntur, peregrini in navibus manserunt, exspectantes eorum eductionem. Eodem die, hora qua Missae celebrari consueverunt, convocavi omnes peregrinos theutonicos et eis sermonem feci de peregrinatione beatissimae Mariae Virginis, quam peregit in visitatione et transitu per montana Iudae, et regulas nostrae peregrinationis ex ejus devotissima peregrinatione collegi et proposui, et praeconia ac laudes nostrae peregrinationis exposui et peregrinationem hanc Ierosolymitanam extuli. Sed montis Synai visitationem super omnia laudavi, volens mouere aliquos, ne nimis trepidarent. Eram enim ego intentionis peregrinationis Synai, sed nulli hoc manifestavi, nec aliquis mihi de se, et ideo vehementer timui, ne forte (**B**) in tanto peregrinorum agmine nullus esset ad montem Synai iturus, sicut et in priori peregrinatione contigit. Si ergo finita fuit dies illa et iterum noctem in galē egimus.

Tertia die cogitavi tempus adesse, quo Dominis meis intentionem meam de peregrinatione montis Synai manifestarem. Et solos quatuor Dominos convocavi in partem segregatis omnibus servis et lachrimosis oculis ac moesto corde et facie dixi: ecce generosi Domini mei, et charissimi filii, fratres et socii, de gratia vestra usque huc perductus sum, fateor, et per vos licentiam et expensas pro isto tempore habui, pro quo beneficio ingentes grates refero. Sed unum est, quod plurimum me conturbat et sollicitum ac anxiū reddit. Sperabam in egressu nostro de terris et locis nostris, si Deus nos omnes sanos usque huc perduceret, quod ad minus aliquis vestrum, etsi non omnes simul, post terrae sanctae lustrationem ulterius peregrinaturus esset, ad sanctum montem Synai, ad Sanctam Katharinam, cum quo et mihi oportunitas daretur veniendi ad eadem loca sanctissima; sed heu! spe mea frustratus sum, quantum ad hoc. Insuper nec audeo, nec debeo petere licentiam a vobis recedendi, et vos derelinquendi, cum in reversione majus periculum vobis immineat. Si tamen licentiam mihi sponte dare dignaremini, pro munere gratisimo eam accipere vellem a benignitate vestra. Quam

